

1994

A

7387

3: 2x 06




Q. D. B. V.
 COLLEGII PUBLICI
 DISPUTATIO IX.
 De
SUCCESSIONIBUS
AB INTESTATO,

Ad
Tit. I. & seqq. Libr. III. Instit.

Qvam
 IN ALMA FRIDERICIANA,
 SUB PRÆSIDIO
 DN. JOAN. SAMUELIS STRYKII,
 J. U. Licentiati & Prof. Publ.
 Extraordinar.

In Auditorio Majori
die XXVII. Maji. A. R. S. MDCXCIII.
 publicæ ventilationi
 submittit

CASPAR WILHELM BOECKEL,
 Falcob. Neo-March



HALÆ,
 TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT. BRAND.
 TYPOGR.

Q. D. B. N.
COLLEGI PUBLICI
DISPUTATIO IX.

DE
SUCCESSIONIBUS
ABINTESTATO.

T. I. & J. Lib. III. Cap. 1.

IN ALMA FRIDERICIANA
SUB PRÆSIDIO

DN. JOH. SAMUELE STRYKI
J. U. LICENTIÆ & PROF. P. U. B.

IN ALMA FRIDERICIANA
SUB PRÆSIDIO
P. U. B. & J. U. LICENTIÆ & PROF. P. U. B.

CASPAR WILHELM BOECKEL
J. U. LICENTIÆ & PROF. P. U. B.

Typis CHRISTOPHORI SALTBORNÆ REFORMISCHER
Typogr.





I. N. 7.

Th. I.



Uccessionem ab intestato

non immerito juri gentium adscribunt, quoniam credibile est, aliquem, testamentum non condendo, voluisse, ut proximus agnatus caperet hæreditatem. Hugo Grot. *de J. B. & P. L. 2. C. 7. §. 3.* Accedit & naturalis ratio, quæ vult, ut inter quos est sanguinis derivatio, inter illos etiam sit bonorum translatio. Dn. Pufend. *de Jure Nat. & Gent. L. 4. C. 11. §. 4.*

Th. II.

Non inutilis quæstio, quid in dubio præsumendum, an scilicet aliquis testatus, an intestatus, decesserit? Sed Respondemus, præsumi aliquem intestatum decessisse, & hinc sufficit probatio, se proximum agnatum esse, quæ præsumptio, quoniam juris est, liberat illum ab onere probandi. E contra qui ex testamento succedere vult, id probare debet, quia hoc facti est, ideoque probandum. Vid. Mascard. *de Probat. Concl. 938. n. 1. seqq.* Menoch. *de Præsumpt. Lib. 4. præf. 1.*

Th. III.

Mirum est, quod Cujacius statuerit, in *Comment. ad Nov. 118.* ad successionem suos quidem jure suitatis, Emancipatos vero jure Prætorio vocari, cujus opinionem etiam defendit Mejer in *Coll. Argent. Lib. 38. tit. 6. thes. 19. n. 15.* Ast expresse fundatum est in *d. Nov. 118. C. 1. in fine*, quod omnis differentia inter suos & eman-

A 2

cipa

cipatos sublata esse debeat. Nec etiam ratio naturalis, qua Imperator in hac Nov: motus, Cujacii assertum admittit, dum enim æqualitatem inter omnes liberos introducere vult, contrarius sibi fuisset, si illos diverso jure ad successionem vocasset. Hilliger. ad Don. L. 9. C. 2. Lit. C.

Th. IV.

Singularis dispositio in favorem posthumorum est, in L. Antiqui 3. ff. si pars hered. pet. quæ semper tamen cum hoc supposito intelligenda: modo postea vivi nascantur; Antea enim homo non recte dicitur L. 9. §. 1. ff. ad L. falc. Nihil vero hic interest, an posthumus ordinario partu editus, an vero ex utero materno exfectus, modo spiritum ediderit L. 12. ff. de Lib. & postb. Hinc min9 recte opinatur Joh à Sande Dec. Frisc. Lib. 4. tit. 8. def. 8. infantem, qui vagitum non edidit, pro mortuo esse reputandum; Ex vagitu enim vita quidem cognosci potest, non vero ex ejus defectu mors præsumenda Vid. Carpz. P. 3. C. 17. d. 19.

Th. V.

Dubium tamen est, an sufficiat illa ratio d. L. 12. §. 1. ff. de lib. & port. quod in posthumo nihil amplius requiratur, quam quod spiritum habuerit, quam sententiam defendit Carpz. P. 3. C. 17. & 18. & præjudicio ibi confirmat. Sed hic etiam præter vitalitatem terminum pariendi legitimum attendi deberi puto, qui est 7. Mensium L. Septimo 12. ff. de Stat. hom. vel ut accuratius hoc tempus determinat Jctus, qui 182. die, seu sub initium septimi mensis natus fuerit L. 3. §. 12. ff. de Suis & legit. hered. Conf. Const. Capriol. Prax. Succ. ab intest. n. 98. Quamquam hic fateri necessum habeamus, decisionem periti Medici magis stringere, quam ipsam Imperatoris dispositionem, qui pariter ibi Hippocratem secutus.

Th. VI.

Diximus in thes. III. per Nov. 118. jus fuitatis & emancipationis sublatum esse, verum distinctionem illam cum Hill. ad Don. L. 9. C. 2. Lit. D. in liberis adoptivis quoad successionem parentum
fal-

salvam adhuc esse statuimus: Cum in adoptivis, civili vinculo sublato, nullum subfit amplius, quo ad successionem vocentur, quod secus in liberis naturalibus, ubi hoc licet vinculo sublato, naturale tamen remanet. Hinc non immerito jure Noviss. ab avo materno emancipati ob hoc vinculum mortua matre, in cujus locum succedunt, ad hereditatem avi admittendi. Quo colimare videtur, Bach. ad Tr. Vol. 2. Disp. 16. th. 2. lit. 7.

Th. VII.

Controvertunt Dd. an partus adulterinus ex marito & soluta susceptus, admittendus ad successionem matris. Socinus Conf. 148. illum admittit ob L. Inter liber 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult. ubi hoc proprie adulterium non æstimari dicitur: cujus sententiam defendit Anton. Matthæi de Succ. C. 1. §. 14. Veriorem tamen puto contrariam sententiam, quam habet Hartmann. Pistoris P. I. Q. 30. Palæota de Noth. & C. 42. n. 4. non enim ex voce proprie inferendum: Ergo coitus ille non est damnatus. Quam sententiam præjudicio confirmat Ill. Dn. Stryk. in Tr. de Succ. ab Intest. D. 1. C. 2. §. 57.

Th. VIII.

Transmissio feudi in descendentes ita favorabilis est, ut in infinitum extendenda. Struv. Synt. Feud. C. 9. th. 5. Hinc testamentaria dispositio circa feudum nullius momenti est 1. feud. 8. pr. adeo nec quicquã operabitur hic exhereditatio ex justa causa facta Bocer. de Jure Succ. in feud. C. 3. Q. 11. Vult. de feud. C. 9. n. 96. nisi sit feudum mere hereditarium, de quo pater libere disponere potest. Rudinger Var. Lect. Jur. feud. L. 1. C. 30. n. 8.

Th. IX.

De Jure Sax constat, filiam non posse geradam in aliam, quam proximam cognatam transferre, neque per testamentum, neque per donationem mortis causa, nisi hæc consentiat. Carpz. P. 2. C. 14. def. 2. Inter vivos vero donatio geradæ subsistit, etiam sine cognatæ voluntate. Carpz. d. C. d. 5. Cujus diversitatis ratio

hæc est, quoniam donatio mortis causa demum tempore mortis effectum suum sortitur, tunc vero cognatæ jus in geradam vi statuti incipit, quod ei invitæ non est auferendum. In alienatione vero inter vivos res statim transit ad alterum & tempore mortis non invenitur. Matth. Wesemb. *Paratitl. ff. de Suppell. legat. in fin.*

Th. X.

Nil iniqui habet jus retorsionis quoad successionem diversarum provinciarum, quod enim aliqua provincia juris sibi vindicat, illo si alia pariter utatur, id sine injuria fit. Exemplum est in Gallorum Jure Albinagii seu Albinatus, de quo vid. Henr. Zæf. *Comm. ff. de test. n. 12.* Dum enim aliquis in Gallia decedit, qui non scriptum natalitatis à Rege impetravit, ejus bona Rex sibi vindicat. Barry *Tr. de Succ. L. 1. tit. 7. n. 21.* Eodem Jure Principes Germaniæ in Gallis hic degentibus uti possunt. B. Dn. Brunnem. *Comm. ff. ad Auth. Omnes peregr. in fine.* Quamquam id jus in illos, quos in tutamen & civitatem receperunt, non obtinere putem.

Th. XI.

Curiosa decisio videtur, quæ in *L. 9. S. 4. & L. 22. ff. de reb. dub.* habetur, dum de successione parentum & liberorum, qui eodem casu simul perierunt omne dubium componunt, statuentes; si liberi puberes fuerint, illos parentum heredes esse; si non, parentes eos supervixisse præsumi, & sic Parentes heredes esse. Rationem si petis, hæc est, quia priori casu convenientius, præsumere patrem ante filium decessisse *L. 15. ff. de inoff. test.* Posteriori verò casu ob impuberis nondum confirmatas vires, atq; debilitatem animi & dehinc partim dolorum impatientiam, partim perturbationem animi, prius filium decessisse credendum. Menoch. *Præs. 50. n. 31.* Wissenbach. *ad ff. Vol. 2. Disp. 6. th. ult.*

Th. XII.

Pertinet & eo elegans casus *L. 26. pr. ff. de Pact. dot.* ubi conventio inita inter socerum & generum, ut gener dotem integram
con-

consequatur, si uxor ante eum decedat relicto filio; si vero uxorem precedat filius, superstiti genero liceat partem saltem dotis vindicare. Decessit igitur naufragio Mater & anniculus, quaritur quid dicendum? Respondetur anniculus quia impubes, presumitur ante matrem mortuus: quo casu gener portionem saltem dotis capere potest.

Th. XIII.

Hoc adhuc quaestionis est, quid statuendum, si eveniat, ut Testator & Extraneus heres scriptus, eodem loco peste conficiantur, nec sciri possit, quis prior extinctus: Ast in testamentaria extraneorum successione, praesente requiritur, praemori testatorem superstiti herede. Habendi itaque sunt, quasi uno tempore mortui, cum non expresse de hoc constet. Quod si naufragio uterque perierit, ratio roboris habenda erit, ut ita debilius primo loco mortuus censeatur. Plures elegantissimos casus vide sis in Dn. Strykii *Tr. de Success. ab Intest. Dissert. X. per tot.*

Th. XIV.

Expediti juris est, quod conjux successione conjugis excidat, si divortio causam dederit, nam injustum est, aliquem conjugum ex suo facinore lucrum sentire velle. *L. si ab hostibus 10. §. 1. soluto Matr.* quoad partem vero innocentem rigida decisio videtur, dum haec jure suo citra suam culpam privatur. Quare videndum, an matrimonium plane dissolutum, & tunc nullam obtinere puto successione, etiam partis innocentis, quae damnum hoc sentit quidem sine culpa, non tamen sine causa. Nicol. ab Ubald. *Tr. de Succ. ab Intest. P. 4. n. 6.* si vero tantum matrimonium quoad thorum & mensam solutum, tunc hoc quod in nocentis poenam statutum, ultra ejus personam non est extendendum.

Th. XV.

Disputatur in Marchia, an ibi inter conjuges bonorum communio adsit? Et eam adesse ex verbis Constit. March. verb. *aus ge
mei*

meinem Guthe patere videtur, quam sententiam etiam defendit Pruckmann. *Vol. 1. Conf. 44. n. 7. Schepl. tit. 2. §. 1. n. 2.* Verum si hoc statuendum, vel adest ex conventionem, vel ex statuto. Pactum regulariter cessat, nec præsumitur: Consuetudo etiam non probata, cum hæc Constitutionis verba tantum loquantur de bonorum communione post matrimonium, tunc enim demum superstes conjugum dimidiam hereditatis petere potest. Kohl. *ad Const. March. Q. I.* Ergo etiam illa communio vix asserenda.

Th. XVI.

Ecclesiam in bonis Clericorum, si hi nullos propinquos, vel sanguinis vel affinitatis vinculo junctos, habeant, succedere & fiscum excludere, patet ex *L. Si quis Presbyt. 20. C. de Episc. & Cler.* Ibiqve B. Brunnemann. *Aug. Barb. ad Cap. 9. de Succ. ab intest. n. 2.* Ex quo fluit, quoniam Academiae sunt instar Ecclesiarum, Ernest. Cothmann. *in Comm. ad L. 1. C. tit. 3. n. 18.* & Studiosi sub Clericorum appellatione continentur, Richt. *ad Auth. Hab. Disp. 7. n. 2.* etiam eorum bona, si sine herede decedant, ad Academiam pertinere. Matth. Stephan. *ad Nov. 118. n. 78.* Simon Pistor. *Conf. 1. n. 24. & 37.*

Th. XVII.

Si filius vel filia jurato renunciaverit hæreditati, & postea tamen læsionem non modicam experiatur, juramenti relaxationem petere potest Berl. *P. 2. Concl. 44.* Quoad læsionem vero enormissimam, ne relaxatione quidem opus esse, existimat Treutl. *V. 1. D. 21. th. 2.* Tutius tamen est, si quis illam etiam hoc casu petat. Cels. Bargal. *Tr. de Dolo divis. 3. de Dolo expropes. C. 2. n. 8. fol. 147.*

Th. XIX.

Qui de adulterio convictus, simpliciter privatur successione conjugali, etiam si Princeps aggratiare velit. B. Brunnemann. *in Jure Eccl. L. 2. C. 17. §. 23.* Princeps enim sua indulgentia jus quæsitum nemini auferre potest *L. 4. C. de Emanc. lib.* Aliud ergo, si pars innocens injuriam hanc parti adulteranti remiserit.

Vid.

Vid. Zœf. *ad ff. ad L. Jul. de Adult. n. 52.* Hæc enim pœna in favorem innocentis est introducta. Remissum vero censetur, si reconciliatio intercesserit, quæ etiam tacite ex cohabitatione facta præsumitur. Sande *Dec. L. 2. Tit. 6. Def. 2. Mev. P. 7. § 163.* Et quando omnia in pristino statu manent, tunc potius jurgium quam divortium intelligitur. *L. 13. 30. ff. de jure dot. Haunold. de J. § 7. Tom. 1 Tr. 2. C. 6. n. 707.*

Th. XIX.

Quo frequentiora sunt statuta de successione conjugum, eò certior est eorum successio. Hoc tamen quæritur an ea quæ de lucranda portione statutaria hoc casu disponant, etiam applicari possint desponsatis? Affirmativam tuetur Gail. *Lib. 2. Obs. 80.* Negativam è contrario vovet Bach. *ad Treutl. Vol. 2. Disp. 7. th. 1. lit. D.* Cui & nos subscribimus, cum enim lucrum hoc statutarium sit, statuta verò nullos pro conjugibus habeant, nisi qui sacerdotalem copulam adhibuerunt, non video, quomodo desponsati huc aliquid capere possint.

Th. XX.

Ad confraternitates Principum confirmationem Imperatoris necessariam absolute esse, communis Dd. opinio. Vid. Muscu'. *de Confrat. Th. 27, Limn. de J. P. L. 4. C. 8. n. 124. § 154.* Nos tamen illud cum distinctione accipimus, ita, ut si mere feudalia sint, de quibus pactum ineundum ob nexum hunc feudalem Imperatoris consensum omnino adhibendum esse statuamus, extra hunc respectum verò Cæsaria confirmatione haud opus esse, propter textum clarissimum in Cap. Leop. §. 39. cum Illustr. Dn. de Retz. *ad 1. Feud. 8. §. 4. num. 25. pag. 335.* statuere non dubitamus.

Th. XXI.

Illi insigniter falluntur, qui confraternitates Principum injustitiæ arguunt, quoniam Juri Rom. pacta successoria contrariantur: quis enim neget, status Imperii Legibus Civilibus solu-

B

tos

tos esse. Vid. Cæs. Fürstenerius *de Jure Supremat. Princip. German.* Cap. 25. Si hoc igitur negari nequit, dubium non est, quin quoad successionem proprias quoque Leges sibi ipsis condere valeant. Vid. Nic. Betsius *de pactis Famil. Ill. C. 4. per tot.*

Th. XXII.

Non satis patet cur magni alias nominis Jctus Franc. Hottomann. *Conf. 8.* statuatur, renunciaciones successionis futuræ naturali juri omnique æquitati esse contrarias; Sane ut liberi parentibus succedant, non præceptam juris naturæ est, sed permissio ac beneficium, huic vero quilibet renunciare potest. *L. pen. C. de Pact.* add. Jac. Butrigarius *Spec. Tr. de Renunciat.* Paulus Galleratus *Tr. de Renunc. passim.* Naturali rationi consentaneum est, ut liberi Parentibus succedant, non tamen necessarium; uti optime id monet Grot. *de Jure Bell. & P.L. 2. C. 7. §. 11.* De Jure ergo Naturæ liberis præter alimenta nihil deberi existimo. Cætera licitè tolli possunt, sive per dispositionem inter vivos, sive per ultimam voluntatem.

Th. XXIII.

Quantum ad collationem bonorum in successionebus, quaestio, studioso imprimis utilis est, an sumptus studiorum conferendi sint? Prostat famosissimus textus in *L. Quæ Pater 50. ff. fam. herc.* qua Legem moti Dd. generaliter negativam tenent. Joh. Ant. Mangil. *de Imput. & detract. qu. 32. n. 1. & seq.* Alvarez de Velasco *de Partit. c. 13. n. 151.* Atque id etiam eo extendunt, ut statuatur, sumptus tales studiorum non conferendos esse, ut pater eos consignaverit. Ille enim *credendi animus* cujus in verbis Legis mentio fit, non ex præsumptionibus incertis eliciendus, sed probandus: quin potius talis consignatio notitiæ gratia facta censetur. Quæ omnia tamen intelligenda, nisi filius desertor studiorum extiterit, tum enim ex eo quod damnat, non debet sentire commodum.

Th. XXIV.

Th. XXIV.

Sed magis disputatum est, an debita studiorum causa contracta, ex communi hereditate exsolvenda? Sane si debita vivo Patre contracta, illud affirmare non dubitamus; Pater ergo postquam semel filium literis destinavit, ad debita honeste contracta obligatur: jam vero perinde est, si solveat, si solvere debuerit. Aliud igitur de illis debitis dicendum foret, quæ post mortem patris contracta. Vid. Kremberg. *de Sumt. Stud. quest.*, 2.

n. 4.

Th. XXV.

Quid vero de sumptibus Peregrinationis dicendum, an & illi eodem cum sumptibus studiorum privilegio gaudebunt? Negantium opinio probabilis esse videtur, cum nihil commune peregrinatio cum studiis habeat: Ast vero cum frequentissima hodie cum exteris sint negotia multumque salutem Reip. promoveat, si sint qui exterorum etiam mores, modumque regiminis perspectum habeant, non immerito tales quoque expensas necessarias habendas, nec conferendas existimamus.


Th. XXVI.

Successio Prætoriana an adhuc in usu sit, vehementer disputatur a Dd. quamplurimi id negant, sed absque fundamento; Nos potius adhuc hodie necessariam dicimus bonorum possessionem: Summarie enim in illa proceditur, & faciliores probationes, quam in hereditatis petitione, admittuntur. Ita, si post testamentum conditum agnascatur posthumus, hic tamen mox iterum ante Patrem decedat, de jure Civili certe, heres consequi hereditatem non potest; testamentum enim semel ruptum ac annullatum, quod pariter morte rumpentis non convalescit *L. 2. C. de Posth. hered.* Scriptus ergo heres, nec hodie, ad hereditatem nisi beneficio prætorio pervenire potest. Simon de Prætis *lib. 3. Interpret. 1. dub. 6. fol. 4.* Cæteros casus, quibus bonorum possessio tam secundum, quam contra Tabulas, adhuc hodie obtineat,

tineat , exhibet , Dn. Stryk. *Tr. de Success. ab Intest. Disputat. IX.*
c. 4. & 5.

Th. XXVII.

Quantum denique ad bonorum possessionem ab intestato
attinet: fatendum, tres illas species, *unde liberi, unde legitimi, & un-*
de cognati propter *Nov. 118.* ubi ordo succedendi prorsus immuta-
tus, cognatorumque jus cum agnatis, ac emancipatorum cum
suis confusum, hodie non amplius esse necessarias, exceptis ca-
sibus, quos proponit Dn. Stryk *cit. Tr. Dissert. 9. c. 6. §. 7. seqq.* Istam
tamen bonorum possessionem *Unde Vir & Uxor* quæ deficientibus
omnibus omnino cognatis, superstiti conjugii datur in inte-
gram hereditatem, adhuc hodie obtinere
existimamus.



94 A 7387

ULB Halle
006 301 592


3



V. 17







9

IX

10

D. B. V.
I PUBLICI
ATIO IX.

De
SIONIBUS
ESTATO,

Ad
Libr. III. Instit.

vam
RIDERICIANA,
RÆSIDIO
MUELIS STRYKII,
ti & Prof. Publ.

ordinar.
orio Majori
A. R. S. MDCXCIII,

ventilationi
omittit
HELM BOECKEL,
Neo-March

ALÆ,
LDII, REGIMINIS ELECT. BRAND.
POGR.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8